

## **CARMINA SECLUSIONIS**

*A Daniele Blanchard parisino mense Aprili anni MMXX scripta.*

### Romae desiderium

(ob Academiae latinitatis Fovendae conventum morbi sinensis causa postpositum)

Romam nunc teneor cupiditate  
Lustrandi nitidam ; dolens acerbi  
Aevi linquere cum velim molesta,  
Me captum retinet malorum acervus :  
Morbo pressus, inops, Lutetiaeque  
Maerens angore, torqueor retentus.

### De novo planeta nuper circum remotam stellam invento

Sint toto in caelo, quod nocte ardere videmus,  
Myriades, juvenis, stellarum, lucidi et orbes,  
Nullus erit nobis lustrandus, nec nova vises  
Sidera, nec miris perfusa coloribus astra ;  
Insolitos soles non vises, nec pede laeto  
Calcabis campos vel litora saeva colonus.  
Somnia vana repelle : decet terras habitemus.  
Quid faceres solus metuendi in turbine caeli ?

### Ad amicum

propter infelicitatem temporum carmina legere nolentem

Exspectare requiris amicos tempora laeta,  
Et prohibes lepidos tristi tibi mittere versus :  
Si libros fausto tantummodo tempore volves,  
Heu ! Numquam poterunt vates sua carmina fari.

### De turba

Clamabat furiosa magna turba,  
Clamabat : « Crucifige, tolle, tolle ! »  
Sedare haud valuit potens Pilatus  
Plebem stultam hominum piis timendam.